

grum, et quod excedit, biennium ab hybernio, omnique alio tributo, cui omnia caetera nostra haereditaria Regna et Provinciae graviter subiacebant, soli vos immunes eratis. Praestabitis hac ipsa oportunitate Servitium Nobis singulariter acceptum. Qui vobis gratiam Nostram Caesareo-Regiam clementer rursus confirmamus. Dabantur in Civitate Nostra Vienna Austriae, die decima septima mensis Maji, Anno millesimo septingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani decimo, Hispanicorum decimo octavo, Hungarici et Bohemici vero undecimo.

Carolus m. p.

Engenius a Sabaudia m. p.

Ad Mandatum Sac. Caes. Regiaeque Catholicae Majestatis proprium:

Antonius Josephus ab Öttl m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum, Fidelibus nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1721 N. 19.

CCXXXIX.

Anno 1724. die 11. Aprilis. Viennae.

Carolus III. Rex modum solvendi a SS. et OO. assumpti subsidii militaris determinat.

CAROLUS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici jtem Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Posteaquam tenore benigni Rescripti nostri, sub Dato diei 12. Mensis Junij, Anni 1722 ad Fidelitates Vestras directi, Iisdem clementer intimassemus, ut quemadmodum